

pæsti aliquando admitterentur. Hanc igitur veniam Tragicis libenter cum auditores, tum lectores, concedebant, ut in quavis senarii sede, præter ultimam, ut in quavis trochaici sede, præter mediam et ultimam, dactylum usurparent. Ac nullo sane discrimine et in impares et in pares senarii locos propria nomina inferunt, ut inde consequi putem, anapæstis in tertia et quarta sede, præterquam cum hac sola exceptione, temperasse. Si enim jure suo anapæstos ibi adhibere poterant, debebant ita distribuere, ut pares locos effugerent. Cetera nomina, in quibus occurrit anapæstus vel dactylus, cum non ineluctabili necessitate iis pedibus uti cogerentur, debebant quidem ita versibus intexere, ut anapæstus in diversos pedes dissecarentur.

Αἰνῶ σε, Μενέ | λα' ὅτι παρὰ γνώμην ἐμήν.
 Ἐπεὶ γὰρ ἐξέπνευσεν Ἄγα | μένων βίον.
 ὦ τλήμον οἶον τέρμον' Ἴο | κάστη βίου.

Et hoc certe plerumque faciebant. Verum istam legem sibi servandam putabant, ut anapæstus in eadem voce totus contineretur. Mendosus igitur est

Iph. A. 1579. Ἐλεξε δ' ὦ θεροκτόν' Ἄρτεμι παῖ Διός.
 E MSS. tribus Parisiensibus dedit Marklandus,

Ἐλεξε δ' ὦ Διός Ἄρτεμις θεροκτόνε.

Musgravius, quod mirum est, vulgatam tacitus retinet.

Si me rogas, utra harum vera sit lectio, respondeo, neutra. Nec quicquam mea refert; quippe qui persuasus sim, totam eam scenam abusque versu 1541 spuriam esse et a recentiori quodam, nescio quando,